



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

XI. Quanta inde tranquillitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)



*sed manus, manus sunt Esaii.* Vocem Jacobi agnoscit, non tantum quia lenior exhibat, quam ex ore asperi & agrestis venatoris: sed quia sonabat voluntatem Dei, cujus mentioni Jacob assueverat ad quotidiana eventa. Didicerat à Rebecca matre, cui casus non fuit, ad puteum occurrisse Eliezeri. Didicerat à Melchisedeche Rege Salem seu Pacis, quando in ejus disciplinam à parentibus datus vir simplex, & unum in omnibus Deum quærere assuescens, habitabat in tabernaculis.

XI.

*Quanta inde  
tranquillitas.*

Nec verò quidquam est potentius ad subitos animi motus componendos, pacemque animi inter foruita incurrètia servandam, quam ea non ut fortuita accipere, sed ut à Deo destinata, qualiacumque sint. Mirati sunt parentes nostri compositissimum Philippi Secundi Hispaniarum Regis animum, & ne subitis quidem, atque improvisis tangi facilem. Ad majora ventura meditationibus comparamur, ideòque venientibus minus percellimur: mi-



nora plerumque, quia præmeditati non sumus, patientiam subito motu excutiunt. At Rex ille majoribus inconcussus, classium jacturam, provinciarum rebellionem, filiorum mores, & mortes, imperturbato vultu audire solitus, eandem ad minuta contingentia, ut familiarium intimi notavêre, ac narravêre, tranquillitatem attulit. Manu sua literas ad Pontificem Maximum exarârat: iis siccandis petitâ ab ephebo thecâ arenariâ, atramentariam accepit, & chartæ infudit. Ad hoc pallenti ac trementi ephebo, nîl quidquam, nisi, Fili profer aliud chartæ folium. Eidem ocrearum unam induenti, calcar, quod imprudens famulus in imo reliquerat, plantæ pedis incussum est. Vix se quantumvis compositæ mentis homo tenuisset, quin irasceretur. Rex ita se compescuit, ut citra vel minimum indignationis signum, id solum dixerit, Eximatur quod in ocreis latet.

XII.  
*Causa tranquillitatis.* Qui ad eam animi pacem aspirat, sese assuefaciat intuenti in obviis quibuscumque casibus Provi-